

1572

cianum, Antonium Canaliū cum alia manu emisit. Superantius ad Methonis portus fauces in barbarorum conspectum illatus, crebra tormentorum ejaculatione contra Uluzzalium magno impetu tendit. Ille tamdiu moratus, dum leviori tantum pugna eminus Superantium depugnaturum arbitraretur, cum supremo praelio commissurum animadvertisset, remigio inhibito, triremibus circumactis, rursus urbis moenia subiit. At acrius insistens Superantius, continenti machinarum displosione adeo se in portum invexit, ut colubro moenium urbis partem prosterneret. Austriacum vero cum reliqua regredi classe conspiciens, nihil ab hoste laesus, ad suos revertitur. Diversa ex parte Columna, Baccianus, ac Canalius expeditis cum aliquot triremibus, sese acriter intulere, licet non adeo opportune, ut turcicis vigintiquinque recenti remige instructis, inter Oenufam, Caprariamque insulas receptum impedire possent. Iis intento remigio appropinquantibus, ne quid detrimenti accideret, Fuscarenus cum suarum triremium agmine praesto fuit. Mamutes, Lemni Sangiacus, Ahenobarbi illius, cujus famam praecelara maris facinora nobilitaverant, nepos, nimium navigii velocitati fidens, dum se a navi divelli non patitur, itinere a Bacciano interclusus, & a latere impetitus, temeritatis, triremi capta, poenas dedit. Ipse captivi Christiani manu, quem paucis ante diebus per summam contumeliam verberatum vulneraverat, obtruncatur. In vesperam vero vergente die, Austriacus proras Navarinum obvertit, Superantius in Uluzzalium postremo agmini, quod longius se in altum extulerat, haerentem, frontem vertere, donec classis universa cogeretur, iussus; Turcisque inspectantibus, Mamutis triremis, non absque ignominia, abrepta est. A summo mane usque ad solis occasum his pugnae simulacris, modo sese inferente, modo recipiente hoste, dies extracta.

*Mamutis
triemis
capta &
ejus caedes.*

*Federata
classis Za-
cynthum
proficiscun-
tur.*

Onerariae, & galeatae, quae in Navarini portu substiterant, classes propinquas in procinctu pugnae esse conspicatae, sublatis anchoris, e portu egressae fuerant; in reditu ab Austriaco Zacynthum petere jubentur; ipse eodem cum Fuscareno, universaeque classe contendit, ingenti metu levatis Turcis, qui sex dierum spatio, quo Bassa, ac Beglerbegus iis in locis morabantur, ad extremam rerum omnium inopiam redacti, prope
spem